

# Præfatio.

etiam necessaria, quæ nos sapientia docet: huiusmodi ergo omnia cum libris contineantur, merito optimus quisque librorum bonorum perpetuitati atque incolumitati fauere debet. C. Caligulam execramur solum ob id quod Vergilij, & T. Liuij scripta delere cogitauerit. Quid facturi essemus, si fecisset quod cogitauerat? Est in sapientum monumentis bonum sine malo, mens sine corporea labe: Virtutes absque uitij, gratiæ & iucunditas sine sorde, & immunditia, uoluptas sine dolore, conuersatio absque tædio, delitiæ absque miseria nuda, omnia bona præstant, atque laudabilia ab omnibus mortalitatis exuijs libera, tantum commodi afferunt libri. Sed & in eorum electione ac studijs modus, ac mediocritas quædam seruanda est, quæ si quis neglexerit non leui incommodo afficietur: eam antiqui rationem alij proportionem appellarunt, non equidem etiam in pertritis tam facillimam, ut rentur homines: nam in alijs rebus perobscuram esse fatentur, ego difficillimam puto undique, & magis forsitan ubi non existimamus. Vnde plures decidere uidemus magnis cum auxilijs, & euidenti spe: quid aliud est in causa quam ignota mensura rerum: quam tamen plerique tenere se putant. Ergo, cum summum bonum in hac mensura situm esse cernerem, ut clarè ostendunt musicæ uoces, quæ non nisi indiuiduo (ut ita dicam) spacio seu loco stare possunt, ita & in figuris picturarum & statuarum, & diebus decretorijs, & negocijs ciuilibus operæ precium me facturum existimaui, si omnia hæc quæ latè patebant breuiter in unum redegissem, non tantum ne lectorem tædio afficerem, quam ut quòd aliàs docui, breuibus tractationibus, & plura continerentur, & facilius docerentur. Cum uerò bona fortuna quædam effecisset, ut tibi libellum dedicassem de Prouidentia ex constitutione temporum, longe meliore occasione nominis tui typographi obliti sint, indignum fore putauit, ut non ærea (quemadmodum cum Glaucio Diomedes) cum aureis commutarem. Itaque infinitis licet circumuentus negocijs totus huic operæ incubui, atque adeò ut præter spem unius anni penè spacio liber absolueretur. Qui cum tibi (ut dixi) iam iurè deberetur, eò tamen magis dedicandum putauit, quod non ego solum quanquam id maximè, sed communis consensus hominum existimet, te singulari uirtute omnibus studiosis plurimum fauere.

Vale.

TABVLA